10.

DE

# PTYALISMO.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
*DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXI.*
H. L. Q. S.
*PUBLICE DEFENDET*
AUCTOR
LUDOVICUS FRANK
ANHALTINO-BERNBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
*D. MEYER,* MED. ET CHIR. DR.
*M. L. AUERBACH,* MED. ET CHIR. DR.
*H. W. BEREND,* MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.



DE

# PTYALISMO.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

*DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXI.*

H. L. Q. S.

*PUBLICE DEFENDET*

AUCTOR

LUDOVICUS FRANK

ANHALTINO-BERNBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

*D. MEYER,* MED. ET CHIR. DR.

*M. L. AUERBACH,* MED. ET CHIR. DR.

*H. W. BEREND,* MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FERDINANDI NIETACK.



/10.

DE

# PTYALISMO.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
*DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXI.*
H. L. Q. S.
*PUBLICE DEFENDET*
AUCTOR

LUDOVICUS FRANK
ANHALTINO-BERNBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

*D. MEYER, MED. ET CHIR. DR.*
*M. L. AUERBACH, MED. ET CHIR. DR.*
*H. W. BEREND, MED. ET CHIR. CAND.*

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

VIRO

AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO ILLUSTRISSIMO

# H. CURTZE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, DUCIS SERENISSIMI ANHALTINI ARCHIATRO, EIDEM A CONSILIIS AULICIS, RERUM MEDICINALIUM PRAESIDI, SOCIETATUM LITTERARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

# NEC NON

***LEVINI FRANK,***

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Ut mori a majoribus nostris tradito, ut quicunque lauream doctoralem assequi velit, dissertatione publici juris facta hoc honore dignum se faciat, equidem summa anxietate tantum et debilitatis juvenilis bene conscius ad hoc thema elaborandum aggressus sum. Neque novi aliquid, neque meliora, quam quae jam dicta sint, medixisse lubentissime concedo, at partim angustiae temporum, quae me ab aditu ad Bibliothecas prohibebant, partim vero aetas juvenilis omni experientia destituta, quo minus meliora prodirent, obstabant. De Ptyalismo ut aliquid conscriberem, me movit et raritas de hoc statu mor-

boso disserentium librorum et hujus affectionis ipsius dignitas. Quum enim modo ptyalismum ad reducendum aegrum corpus in statum integrum omni vi nitentes excitemus, modo vitae humanae atrocissimum hostem habentes debellemus, modo ad alios morbos valde occultos cognoscendos adhibeamus, hisce variis rationibus lucem affundere et ubi ptyalismus boni ominis sit ubique supprimendus ostendere conatus sum. Quae si mihi non ut optavi processerunt, Te Lector benevole, iterum atque iterum rogo, ut mihi tironi experti indulgeas et faveas.

# LITERATURA.

Joh. Pet. Frank de curand. homin. morb. Epitome. Lib. V. P. I. pag. 84.

G. Casp. Siebold hist. systemat. salival. physiolog. et pathol. considerat. Jenae 1797. c. tabul.

Joh. Christ. Reil über die Erkenntnifs und Kur der Fieber. 3. Bd. St. 321 u. f.

# INTRODUCTIO.

Salivam, quae a glandulis circa cavum oris salivalibus sic dictis versantibus secernitur, non solum aquosum, verum etiam ex aqua, muco, albumine, Natro muriatico et Phosphoro, humorem constitutum *) et menstruum magnopere validum quibus nos vescimur nutrimentis resolvendis inservientem corpori animali maximi momenti esse inter omnes fere constat.

Jactura hujus humoris utilis quam noxia digestioni et propterea toti nutritioni sit, exemplis multis illustratur, ubi, qui ex consuetudine mala multam spumam ejecerunt, in tabem inciderunt. Qua consuetudine vero deposita sanitas recessit **).

Quemadmodum enim, quae in glandulis conglo-

*) Juch in Trommsdorf Journal der Pharmacie. IV. 2. S. 141.

**) Vid. Rudolphi Physiologie. Bd. II, 2, pag. 66.

meratis omnino perficiuntur secretiones, a vi systematis nervosi qualicunque maxime pendent*), sic etiam nobis haecce sententia potissimum, ad diversas, sub quibus secretio salivalis rationem normalem excedens, nobis occurrit, species ac formas respicientibus, plane probata sese praebet. Nulla enim fere corporis secretio, quam salivae tam celeriter mutato systematis nervosi sensu afficitur. Auctam, si sensibilitas omnino et maxime in glandulis salivalibus eminet, ut nobis jam cibos suaves ac bono sapore gaudentes, conspicientibus observare licet, porro in typho versatili, e contrario deminutam vel plane suppressam, systemate nervoso malo paralytico correpto, ut in typho stupido, putrido, et, ut breviter dicam, omnibus illis exanthematibus, quae, ut praesertim variolae, ab hac febris nervosae specie comitata sunt, invenimus. Praeterea autem secretio salivalis in pluribus morbis nervosis, varias quoque ad qualitates ejus mutationes pertinentes induit. Sic, ut unum tantum exemplum exhibeam, salivam

*) Haase über Erkenntnifs und Kur d. chron. Krankheiten. Bd. I. S. 129—131.

aegrotantium hypochondriacorum et hystericorum, saporem abnormem, dulcem vel salsum acquirere videmus, in aliis casibus acrem, causticum; maxime autem commemoratu digna ista est mutatio, quam modo adhuc nobis ignoto in hydrophobia animadvertimus.

---

## §. 1.

## Definitio Ptyalismi.

Sub notione ptyalismi sive salivationis s. sialismi, nimis auctam, normam ac modum naturalem salivae secretionem excedentem intelligimus, quae partim ad deglutitionem valde molestam noscogit, partim copiosius ore effluit, vel etiam ductu salivali violato, in genas destillat.

## §. 2.

## Symptomatologia Ptyalismi.

### a) Stadium prodromorum.

In plurimis casibus salivationi diversissimi generis prodromi praeeunt, qui in symptomatibus, congestionis characterem erethisticum prae se ferentis, atque ad glandulas salivales ab iisque haud

procul sitas partes sese porrigentis, consistunt. Quales sunt: calor et siccitas oris, sitis aucta, calor, tumor, sensibilitas aucta, vel etiam dolores glandularum salivalium, dolor in ossibus maxillaribus movendis, dolores in regione nuchali trahentes, obstipitas colli, superficialis ac levioris momenti oris interni inflammatio nec non organorum deglutitioni inservientium et linguae, gingiva intumescens et facile cruenta, et saepe putrida et foetida respiratio, ac his quidem symptomatibus praegressis, paulatim salivalis secretio augetur.

b) Stadium salivationis ipsius.

Ptyalismo autem ipso nunc accedente, ratio secretionis non solum quantitativa augetur sed plerumque etiam simul qualitativa mutatur. Ac primum quidem quod ad quantitatem attinet, saliva majore minoreve copia adfluit, os semper impletur, et aeger saepissime spumam ejiciat, necesse est. Somno durante saliva ore effluit, vel in deglutitionis organa perveniens, inprimis ut non raro acri et caustica natura usa atrocissimos atque suf-

focationem maxime terribilem minitantes tussis efficit paroxysmos.

Ast non in omnibus casibus saliva gaudet aequali ratione quantitativa, interdum aeger temporis spatio quatuor et viginti horarum dato, dimidiam librae tantum partem exspuit, in aliis casibus Mercurio adhibito libras plures.

Quin etiam P. Frank, artis medicae facile princeps, aegrum quendam Pancreatis scirrho laborantem, libras duodecim salivae quotidie ejecisse narrat *).

Deinde autem nobis varias mutationes salivae qualitativas spectantibus, mox dulces, mox salsae, mox putridae, mox acres occurrunt.

Quae quidem ptyalismo durante Mercurium adhibitum sequitur, saliva inprimis ostendit acrimoniam eximiam, ubi in oris cavitate non solum inflammationum, Aphtharum et ulcerum procreandorum ansam praebet, sed si deglutitur, et in ventriculum pervenit, cardialgias et vomitum quoque efficit.

*) Frank l. c. pag. 90.

Similia quaedam non raro in sialismo, variolas nervosas comitante observantur *). Plerumque interea est saliva lucida, limpida, diluta, aquosa, interdum, Blennorrhoeis organorum tam deglutitionis, quam digestionis simul praesentibus, muco commixta, sed turbida et serosa etiam esse potest, ut saepius in puerperis febri puerperali laborantibus sese manifestat **).

Tenacem autem e contrario salivam videmus, ubi charactere ptyalismi primario retrogresso, paralysis systematis nervosi incipiens sequitur. Itaque nos etiam docet experientia, salivam tenacem atque glutinosam, ab aegro difficillimo tantum negotio ejectam, vel quae sialismi cessationem subito et in typho stupido et in variolis malignis consequitur, signum omnino pessimi ominis mortisque imminentis esse considerandum ***).

Eodem ipso modo, in aegrotis, hypochondria et hysteria majoris momenti laborantibus, oris cavi-

*) Vid. supra.

**) Reil l. c. pag. 323.

***) Vid. supra,

tatem saepius per diem humore tenui, aquoso, mox insipido et inodoro, mox autem metallico, valde acerbo, acri, caustico, sine vomitu, at sensu caloris et ardoris e vertriculo adscendentis, dolores ac spasmum in Oesophago et Pharynge, contractiones in regione glandularum salivalium efficiente, et uno tenore ore effluente impletam observamus, quae symptomata in hujuscemodi aegris a sordibus gastricis et rancidis primarum viarum derivanda sunt. Simillimum statum ceterum in Melaena invenimus *).

## §. 3.

## Decursus et exitus Ptyalismi.

Ptyalismus mox longius, mox brevius temporis spatium consumit, interdum nonnullos tantum dies, ut in variolis; in aliis autem casibus, verbi causa Mercurio nimia dosi adhibito, in hypochondria, hysteria ac vitiis viscerum abdominalium organicis, plures hebdomades, menses, et quot supra perdurat.

Rationem fere aequalem exitus ejus servant Finit enim aut per Lysin, qua fit, ut morbis pri-

*) vide Haase chron. Krankheit. Bd. I. pag. 308. Bd. II. pag. 68 u. 69.

mariis rationali modo ac prospero eventu remotis, aut irritamento, quod salivationi subest, sublato et imminuto paulatim recedat, aut per Antagonismum qua sensibilitas glandularum salivalium normam excedens, deminuitur et in aliis partibus augetur; sic praecipue ab oris glandulis salivalibus transmigrat ad glandulam intestinorum salivalem, quae Pancreas est. Cujus secretione aucta potissimum diarrhoeae copiosae oriuntur aut ad alias partes transiens, praecipue ad cutem, ubi sudoris secretio augetur, aut morbos denique secundarios chronicos, vitia diversissimi generis potissimum organorum digestioni inservientium, anorexiam, digestionem et nutritionem laesam, febres lentas et hydropes incipientes procreans. Qua via a natura indigitata ipsa ars utitur et aliis secretionibus augendis salivationem tollere studet.

§. 4.

## Divisiones Ptyalismi.

Vario modo, quae ab auctoribus propositae sunt, ptyalismi divisiones sese habent. Reil ptyalismum per synocham, typhum et paralysin exoriri cen-

set. Ptyalismum per synocham a causis externis et inflammationibus salivalium glandularum in hominibus robustis et plethoricis provocari dicit; sed ubicunque inflammatio synochalis praesens est, nunquam humor secernitur, sed e contrario omnis secretio sublata est. Ptyalismus vero per paralysin non existit, sed si paralysis morbos occupat, secretio secundum Reil ipsum finit.

Hae, quas Haase proponit, divisiones praestant:

a) Ptyalismus spontaneus, qui vi naturae ipsius producitur, praecipue si glandulae salivales inflammatae sunt et aliae noxiae res externae in has partes irritationem exercuerunt.

b) P. artificialis, verbi causa Mercurii vel aerium masticatoriorum usu provocatus.

c) P. idiopathicus et secundarius sive consensualis. Ille fere idem est, qui spontaneus, alter talis qualis in dentitione infantum et vitiis viscerum abdominalium organicis nobis sese offert, ubi non raro simul est Ptyalismus habitualis.

d) Ptyalismus periodicus, ut in paroxysmis hypochondriae et hysteriae certum typum servantibus.

e) P. epidemicus et criticus, quorum alter quidem rarus, sed interdum in morbis epidemice grassantibus, ut in variolis, observatus est, alter morbos varii generis tam acutos quam chronicos dijudicat, febres nervosas, putridas, intermittentes, variolas, miliaria, paralyses partiales, epilepsiam, amentiam, melancholiam, asthma, hydropem, hydrocephalum internum etc.*)

f) P. simplex et complicatus. Complicationes aut ptyalismum excitaverunt aut ab ipso provocatae sunt, quales sunt variolae et aphthae.

## §. 5.

## Causae Ptyalismi.

### α) Causa proxima.

Quae in Erethismo, in aucta glandularum salivalium sensibilitate, qua in iis secretio nimis copiosa perficitur, consistit.

### β) Causae praedisponentes.

Singularem quidem dispositionem ad salivationem procreandam in universum nobis adhuc ignotam esse fatemur, id tantum experientia probatur,

---

*) Ideler Abhandl. über d. Krisen in d. Krankheiten. Leipz. 1796. 8. pag. 163.

homines systematis nervosi abnormi sensibilitate praediti, ut hystericos facilius quam alios ad istud malum inclinari, eosque, qui jam prius post usum Mercurii salivam ejecerint, etiamsi illius remedii dosi tantum modica adhibita, denuo ptyalismo affici solere.

γ) Causae occasionales.

Quae optime in tres classes dividuntur.

1) Tales, quae glandularum salivalium sensibilitatem et secernendi actionem localiter augent. Huc sunt referendi partim diversi oris cavitatis morbi, dentitio infantum, dentes cariosi, odontalgia vehemens, strophuli, aphthae, tumores, calculi sub lingua, vel in ductibus salivalibus versantes et vitia omnis generis organica in oris cavitate, partim vis localis prope glandulas salivales medicamentorum acrium et irritantium, masticatio et fumigatio herbae Nicotianae, masticatio baccarum Juniperi, granorum Mastiches, seminum Sinapeos, radicis Pimpinellae, Piperis, corticis Cinnamomi, Caryophyllorum, seminum Sabadillae, aliarumque hisce simillimarum medelarum. Porro Acida fortia, inprimis Acidum nitricum, Aether sulphuricus, Spirit. sulphur. aether.

Olea aetherea, vel etiam commoratio diutior apud homines salivam ejicientes.

2) Saepius vero salivationem iis causis praesentibus, quippe quibus vis potentialis sensibilitatem et secernendi facultatem systematis lymphatici omnino magnopere augendi insit, oriri videmus, quod maxime, ut jam supra admonuimus dicendum est de Mercurio, cujus vis in segnem systematis reproductionis et statum torpidum in universum nequaquam neganda est, qui simul vero ratione revera specifica sic dicta mutationem modo memoratam in glandulis salivalibus producit, ideoque potentissimam ad sialismum procreandum ansam praebet. Effectum ceterum ad glandulas salivales Sulphure stibiato rubro adhibito similem Stark se observasse ait *).

3) Denique salivatio via consensuali et antagonistica nobis occurrit. Consensualem quidem in nonnullis organorum digestionem perficientium morbis, in nausea, in vomituritione, in colica et cardialgia, sordibus gastricis, bili, vermibus intestina

*) Sammlung auserlesener Abhandlungen z. Gebrauch f. prakt. Aerzte. A. XI. pag. 26.

irritantibus, atque interdum durante graviditate invenimus *).

Per Antagonismum e contrario formatam sudore pedum, catameniis vel urinae secretione suppressis videmus **), saepius adhuc in morbis ventriculi, oesophagi, pancreatis, ubi glandulae prope oris cavitatem sitae salivales illius organi functionem suscipere videntur.

## §. 6.

## Prognosis Ptyalismi.

Quum salivatio raro primariam, sed in plurimis casibus potius affectionem secundariam praebeat, prognosis ejus quoque pro mali idiopathici, causarum eam procreantium, eorumque quibuscum una symptomatice in lucem profertur, morborum natura, est constituenda. Quae igitur multo minoris momenti ac periculi est, si incitamenta, supra jam commemorata, localiter in glandulas salivales vim suam inserentia, vel sordes intestinales, vel Mercurium adhi-

*) Medicus Geschichte Periode haltender Krankheiten. Th. I. pag. 100.

**) Frank l. c. pag. 89.

bilum sequitur, si salivatio, hoc ipso medicamine procreata, paullo post plane cessat, quam in illis casibus, ubi vitiis viscerum abdominalium organicis, ac saepe curatu paene difficillimis, originem suam debet. Qui circa morborum finem modice, neque nimia virium vitae prostratione producitur sialismus, prosperum plerumqne mali exitum per ductus salivales efficit, atque plures saepe hebdomades sine ullo corporis detrimento ferri potest. In nonnullis quidem morbis, ut in variolis et typho salivatio per se sola omen malum non indicat, in hisce malis auctam potius systematis nervosi actionem probat, quae majorem quam torpor ac paralysis, quorum introitu etiam sialismus subito cessat, reconvalescentiae spem ostendit. Secretionem ceterum salivae nimis copiosam, ut quem prius ad syphilidem radicitus curandam plane necessarium esse putavimus, ptyalismum, brevi tantum spatio temporis interjecto, et propter humoris tam insignis organici amissionem, et masticationem impeditam atque agrypniam perpetuam, imbecillitatem maximam, morbos organorum deglutitioni inservientium et systematis lymphatici chro-

nicos ulcera in oris cavitate maligna, omnis generis dyspepsias, nutritionem laesam, totius corporis atrophiam et febres hecticas producere, quis est, qui neget!

§. 7.

## Ratio Ptyalismi therapeutica.

Prima in Salivatione curanda indicatio est causas ejus occasionales removendi. Quae, quam diversae sunt, tot quoque diversitates curatio praebet. Contra illos, de quibus supra jam mentionem fecimus, morbos oris cavitatis locales, artem chirurgicam in auxilium vocamus. Morbis, quibus sialismus accedit, acutis, ex natura et indole, quas prae se ferant, medemur, quo fit, ut salivatio medelis singularibus quamvis non adhibitis, paulatim ultro cesset, tectis tantum glandulis salivalibus panno laneo vel cataplasmatibus aromaticis, ne istae partes refrigescant, ideoque ad sialismum evanescendum vel potius plane supprimendum praebeatur occasio. Si incitamenta quaedam per consensum vel antagonismum vim suam exercentia, aut alii quidam status morbosi sialismum in lucem protulerunt, medicamina in illa commen-

data et experientia sancita, sunt adhibenda. Memoratu vero eximio digna mihi videtur curatio salivationis post usum Mercurii, quam statim, ptyalismo vix ingresso, Mercurium in intestinis adhuc versantem per Laxantia evacuando, removere conamur, quae forsan, simul ratione antagonistica bonam in glandulas salivales valde affectas vim exercent, non multo post autem, talia remedia eligimus, quae, sine ullo magno negotio, in succos ipsos penetrantia, aptissima sunt ad detrimentosos Mercurii effectus plane exstinguendos. Quibus potissimum adnumeranda sunt: Sulphur depuratum et praecipitatum, Kali sulphuratum et Calcaria sulphurata, tam in pilularum quam in forma pulverata, aut in solutione, externe vero artificialia et naturalia balnea sulphurica et alcalina, balnea Aquisgranensia, Warmbrunnii, Wisbadae, Teplicii etc. quibuscum simul tales conjungendae sunt medelae, quae, sensibilitatem glandularum salivalium usu Mercurii auctam deminuunt, inprimis Opium et Camphora. Externe praeterea gargarismata adstringentia, et in hujuscemodi salivationem jam diu durantem atque aegrum valde debilitantem, Tonica,

Extracta amara, Cort. Chin. reg. et ad curationem perficiendam Ferrum adhibemus.

Secunda indicatio ad sialismi naturam et indolem spectat. Quae cum semper in statu erethistico consistat, methodus antiphlogistica hanc ipsam ob causam huic malo per se non respondet, et topice sub ea tantum conditione in auxilinm vocanda est, si complicationes in organis oris cavitatis internae versantes ad rationem hujusmodi therapeuticam instituendam nos cogunt. Medici potius est, Ptyalismi erethismum deminuere, quod partim via directa, partim per antagonismum efficere valet.

Directe enim istam auctam secernendi actionem inprimis usu Opii et Camphorae interno, quippe quae ex nostra quidem experientia huic casui accomodatissima et optima sint medicamina; his autem adhibitis, vegetabilibus nonnullis camphoratis, ut radice Serpentariae virg. et Contrajervae, nobis removere licet. Eandem haud dubie utilitatem praebent remedia sic dicta revulsoria, in quibus a pluribus medicis commendantur Emetica.

At multo magis Laxantia, ex classe excitantium

et acrium electa, ut Folia Sennae, Rad. Rhei, Salia neutralia ac media praestant, quibuscum praeterea aptissime sunt conjungenda, derivantia externa, vesicatoria inter humeros, pediluvia acria, balnea tepida universalia, fomentationes totius corporis, et ptyalismo chronico ac perpetuo, ulcera artificialia, fonticuli in brachio, Cortex Mezerei, vel Emplastr. vesicatorium perpetuum in eodem loco vel inter humeros quoque applicatum. In aliis casibus Diaphoretica, ut Spirit. Minderer. Liquor. corn. cerv. succinat. Liquor Ammonii caustic. Infus. flor. Sambuc. Tart. stibiat. Pulv. Ipecacuanh. composit. Inf. herb. Menth. piperit. medelis modo dictis praeferemus.

Aegro immodica et jam diu hujus modi secretione perdurante fere consumto, Laxantia non praebemus, sed remediis supra commendatis, Cort. Chin. reg. Rad. Caryophyllat. Cort. et Lign. Quass. Rad. Colomb. Extract. amar. ac diaetam nutrientem et restaurantem interponimus.

Haemorrhagiae gingivae, ulcera oris, quae tam saepe cum sialismo complicata sunt, et charactere putrido nec non paralytico utuntur, localem ceterum

curationem postulant, cum Gargarismatibus adstringentibus et antisepticis ex Vino rubro, Infus. Herb. Salv. Decoct. rad. Tormentill. Vino vel Spiritu Vini commixto. Praeterea valde aptissima sunt: Acetum, Acid. mineralia, inprimis Acid. Sal. aqua dilutum, Solut. Alumin. et Mel. Rosar. Syrup. Moror. Oxymel squill. et Borax Extr. vel Tct. Myrrh. In casibus autem atrocissimis ulcera cum Solut. Zinc. sulphuric. Cupr. sulphuric. vel lapid. infernal. sunt humectanda.

Remediis nequaquam saltem externe adhibendis, criticam exempli gratia in variolis ortam, vel quae in iis jam cessaverat et denuo ante oculos venerat, non supprimimus salivationem, quippe quae signum vis vitalis iterum in organismo florentis, praebeat, ac topice tantum medicaminibus supra descriptis, cataplasmatibus potissimum calidis et aromaticis curanda sit.

Diaeta in universum nutriens ac restaurans sit praecipue autem ex natura morborum, quibuscum sialismus complicatus est, dirigatur oportet.

Status denique reconvalescentiae Tonica poscit ac sialismum Mercurio adhibito oriundum, Camphora

et Opio, quibuscum aptissime diaeta nutriens, balnea universalia tepido-aromatica, balnea alcalina et sulphurica; ad curationem autem perficiendam et artificalia et naturalia balnea martialia conjungenda sunt, removemus.

---

# VITA.

Ego Ludovicus Frank, fidei veteris testamenti addictus, die m. Aprilis XVII. anno MDCCCVIII Harzgerodae, oppido Anhaltino-Bernburgensi natus sum. Patrem veneror Levinem Frank, mercatorem, atque matrem Amaliam, e stirpe Meyer. Primis literarum rudimentis in patria imbutus, annum quartum decimum agens, gymnasium quod Bernburgi floret per quinque et quot supra annos frequentavi. Testimonio tum maturitatis ornatus, die XXVI. m. Aprilis anno MDCCCXXVIII. Berolinum petii ibique ab Ill. Bethmann-Hollweg, rectore t. t. magnifico, inter cives universitatis Fridericae Guilelmae receptus et coram Ill. Rudolphi, t. t. decano maxime spectabili, artem medicam professus sum.

Scholis in hac alma literarum sede interfui hisce; Ill. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia c. h. sani, et comparata nec non organorum sensuum, de physiologia et de vermibus entozois. Ill. Knape de osteologia et syndesmologia, exercitationibus anatomicis practicis ab Ill. Knape una cum Ill. Rudolphi moderatis quoque interfui. Ill. Link de botanice et historia naturali, Ill. Hermbstaedt de Physica, Ill. Mitscherlich de Chemia experimentali et de Zoochemia, Ill. Lichtenstein de Zoologia. Ill. Wagner de pathologia et therapia generali. Ill. Hegel de logice, Cel. Brandt et Ratzeburg de Pharmacologia. Ill. Horn de therapia speciali nec non de morbis syphiliticis. Ill. Hecker de pathologia speciali, Ill. Juengken de chirurgia tam generali, quam speciali nec non de morbis ophthalmicis, Ill. Osann de Materia medica. Ill. Casper de arte formulas medicas concinnandi et morbis infantum, Ill. Kluge de arte obstetricia. Ad praxin medicam exercendam a viris Perill. Hufeland, Ill. Osann, Ill. Busse. Ill. Wolff et Ill. Sundelin, ad praxin chirurgicam et ophthalmiatricam a viris Ill. de Graefe, Ill. Rust, Ill. Juengken, ad praxin obstetriciam a viro Ill. Kluge in clinicis institutus sum.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Amplissimis, Experientissimis summas, quas habeo et debeo, gratias ago.

Jam vero tam tentaminibus medicis, quam examine

rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

# THESES DEFENDENDAE.

1) *Frigus ad febris definitionem non pertinet.*

2) *Summae animae facultates in somnambulismo.*

3) *Statum morbosum inter et morbum distinguendum.*

4) *Aneurysmata radicaliter non curantur.*



rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES DEFENDENDAE.

1) *Frigus ad febris definitionem non pertinet.*

2) *Summae animae facultates in somnambulismo.*

3) *Statum morbosum inter et morbum distinguendum.*

4) *Aneurysmata radicaliter non curantur.*